



1762, 3
3
GEORGII LVDOVICI BOEHMERI
ORDINIS IVRIDICI IN ACADEMIA
GEORGLA AVGVSTA
PRODECANI

ORATIO



DE

255
Bello NVNC GESTO OB SERVATAM
GERMANIAE LIBERTATEM
MEMORABILI

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
INTER SACRA EIVS ANNIVERSARIA
HONORVM CONFERENDORVM CAUSA

HABITA

a. d. XI. Oct. CLXII.



GOTTINGAE

APVD VIDVAM ABRAMI VANDENHOECK.

GEORGI LUDWIGI BOHMNERI

O R A T I O

IN NOBILISSIMO SENATO ELECTORALI

GERMANICAE LIBERTATIS

MEMORABILIS

INTELLIGENTIAE

INNOVATIONIS

CAUSAE

IN

1784

IN SENATU ELECTORALI





Faint, illegible text visible through the paper from the reverse side.



um inter anniuersaria sacra, Academiae nostrae auspiciatissima, hunc locum conscendo, Auditores, dum ad illas officii partes obeundas me confero, quibus me huic actioni interesse, distribuendisque Themidis muneribus, ad quae dignissimi Candidati meritis virtutibusque suis vocantur, huius diei solennitatem celebrare oportet: maiori animi alacritate vultuque longe hilariori, quam vnquam, hunc locum occupare mihi videor.

Laeti celebramus natalem Academiae diem, inter infinita Dei munera reducem; beneficia Dei & Regis in illam praedicamus; saluam academiam & post superata discrimina, quibus eius fluctuari salutem intelleximus, seruata, eiusque incolumitati prouidis Magni Regis consiliis prospectum esse laetamur; urbem, quae Musis



domicilium praebet, ab hostium praefidio liberatam, periculisque ex temporum bellique iniuria metuendis ereptam, sereno animo commemoramus; seruatam patriam, hostiumque consilia & molimina, cis & ultra Visurgim omnia ad necem eius parantium, Dei munere, Regis prouidentia & virtute Heroum ex domo Augusta elusa, hostes debellatos, seruatos ciues, res ambiguas restitutas esse, religiosa memoria recolimus; saluum Patrem Patriae, Regem Augustissimum, domumque regiam muneribus diuinis affectam, regnisque natum esse principem Augustum, patri auo & proauo simillimum, felicitatem domus Augustae, spem patriae, delicias populi non sine summi sensu gaudii & inter pia vota & inter beneficiorum diuinorum commemorationes laeti celebramus. Si nouis laetitiiis incedunt, qui inter fluctus magnae tempestatis, quibus implicantur, se suaque salua esse intelligunt; quantam datam nobis esse intelligimus gratulandi, id est, gratias Deo immortalis, eiusque maiestatis inter nos Vicario & per quos hic res nostras curat, agendi materiam, quibus velut periculo emergentibus non modo in beato otio versari, sed & circumspicere licet res publicas Magni Regis prudentia in eo loco constitutas, vt ad bene sperandum fiduciam inire liceat haud contemnendam.

Nondum quidem ea contigit temporis nostri, nondum ea huius anni felicitas, vt is restituae pacis nuntio illustraretur: sed tamen, quod eius proximum est, eximia pacis renascentis spes ex saluberrimis consiliis affulsit, quae Augustissimis eius suatoribus auctori-

ctoribusque gloriam parant immortalem, tanta inquam spes, vt & hunc annum ea beari, confidere fiduciamque votis communibus communire possimus.

Inter ipsas desideratae pacis expectationes illud est beneficium vere diuinum, belli, pro patriae defensione gesti, felicibus successibus prouinciarum incolumitati ita esse prospectum, vt haec pacis munere non tam quaerenda sit, quam parta tuenda ac firmanda; resque publicas in eo loco positas, vt salua sint regna, quae Regi Augustissimo parent, salua patria, salua quoque Germaniae libertas in extremum paene discrimen reuocata.

Tanta beneficia animis vestris obuersari intelligo, A. quando tranquillam concionem inter medios adhuc belli fluctus obire contigit: eorundemque pia memoria animum meum subit, dum oratione celebrandi sunt honores, Merentissimis Candidatis conferendi. Quae singula cum vberimam dicendi materiam subministrant, tum haereo in exponendo munere vere diuino, quo in tanto bello Germaniae libertatem inter discrimina multa seruata esse cognouimus.

Quando ergo de bello, quod nunc geritur, ob seruata Germaniae libertatem memorabili, dicere constitui: eius comitatis, qua hanc concionem obire visum est, hunc fructum ad me peruenire patiemini, A. vt me breuiter strictimque ea de re dicturum vestro fauore vestraque beneuolentia complecti haud dedigne mini.

Si libertati publicae is honor habitus est apud Romanos, ut tamquam Dea religiose coleretur: quo pretio aestimare oportet Germanicam Imperii libertatem, in qua non agitur de privatorum sed de Principum statuumque Imp. iuribus & immunitatibus? quo loco, inquam, habere fas est illam eminentem statuum Imp. potestatem, iura sublimia ex legum imperii norma suo arbitratu exercendi non autem ex alterius cuiuscunque praescripto.

Intelligitis A. libertate communiri iura publica omnia, quae statuum Imp. sunt; eiusdemque vel hoc praecipuum munus esse, ut exercitium iurium sublimium, legibus attemperatum, suo uniuscuiusque arbitrio definiendum permittat; eandem quidem non respicere normam, quam & ipsa habet ex Sanctionibus Imperii, non autem pati quidquam alieni arbitrii & imperii.

Inest libertati imperii illud sublime, quod statuum Imp. iura, etiamsi omnia ab imperio pendeant, ratione exercitii tamen, ex legibus obeundi, immunitate gaudeant, ipsumque eorum exercitium intra limites, quos sanctiones publicae ex communi bono constituunt, liberum sit ab alieno cuiuscunque superioris arbitratu independens; neque tamen ipsius dignitati noceat, quod nec aduersus leges Imperii nec aduersus pacta publica nec aduersus commune Imp. bonum exerceri queat: quod licentiae magis esset non libertatis.

Sed nec inest eidem quidquam, a formula totius imperii abhorrens. Conspirat mirifice cum moderato imperii nexu, cum
saluas

saluas esse patiatur imperii sanctiones, quibus & ipsa regitur, saluam imperii, saluamque imperatoris auctoritatem, quem videlicet legum Imp. custodem, quem libertatis statuum imperii vindicem, quem omnia nouimus a se aliena existimantem, quaecumque ad ordinum imperii iura labefactanda eorumque iustum usum immi- nuendum pertinere viderentur: vt vere dici possit, Procerum Imp. libertatem cum ipso imperii systemate intimo vinculo adeo coniunctam eique velut innexam esse, vt illa demum salua, hoc saluum, illaque euersa, hoc corruere oporteat & opprimendorum omnium facultatem emergere.

Enimvero libertatis Germanicae, quaquae patet, ambitum circumspicienti, in singula eaque eminentia iura, quibus Proceres tam intuitu totius imperii quam principatum suorum fulgent, eundem esset, in quibus exercendis, quid ex Sanctionum imperii norma fieri videatur, penes eosdem solum & summum & liberum est iudicium & arbitrium.

In comitiis, vbi de rebus maximis definiendis agitandae sunt consultationes, sublimes fruuntur suffragiorum libertate, ad rationes suffragii reddendas nemini obnoxii. Et ne haec ipsa ratio, negotia publica ex maiori suffragiorum numero definiendi, grauis & molesta fieret libertati, huic propter diuersa Procerum studia adeo prospectum est, vt non modo religionis negotia, causaeque, iura singulorum concernentes, verum etiam causae omnes, in quibus Status Imp. Catholici & Euangelici in partes eunt, quod licet
quo-

quotiescunque res illorum postulauerint, non ex suffragiorum numero sed amica illa concordiae incundae ratione componi iubeantur.

En sacram libertatis ancoram, ceu vocare solenne est illam procerum imp. in partes discedendi facultatem, quod haec sit libertatis religionis praesidium, exactae vtriusque religionis aequalitatis munimentum, vltimumque refugium tuendorum iurium, quibus detrimenti quid imminet ex maioris partis auctoritate. Quae & pro hoc palladio asserendo medios inter bellorum fluctus acta sint nuper, adeo vobis A. cognita & perspecta esse existimo, vt iis recensendis immorari prorsus opus non sit.

Nec hic omnem istum expendere vacat libertatis Procerum imperii ambitum, qualis in cunctis imperii partibus, per suos cuiusque principatus exercendis, conspicitur. Quod, quale & quantum ius sit, tum demum intelligitur, cum vel violari libertatem Statuum imp. contingit, iuribus eorum euersis, vel eandem tolli, iuribus eorum alieno arbitrio subiectis, vel eam in discrimen vocari, dum aguntur & parantur, ex quibus vel iurium sublimium, vel eorum immunitatis iactura est pertimescenda.

Quid igitur Germanis inter publicas pro salute Imperii curas antiquius esse potuit & sanctius, quam omni studio efficere, vt honor dignitas & libertas Imperii salua & intemerata perennaret. Ab ista cura & prouidentia descendunt leges, quae libertatis tuendae causa maiestati Imperatoris limites constituunt aequissimos, quae statibus,

bus, eodem vinculo confociatis, nihil quidquam erga se invicem licere permittunt, quae denique, quod & confociationis arctissimae ratio postulat, tutelam libertatis communem omnium & singulorum causam efficiunt communibus viribus tuendam, ubi eam inprimis hostili exterorum principum manu in periculum duci contingit. Immo quando de libertatis defensione agitur, quis ea omnia dubitauerit Statibus imp. licere, quae gentium iure summis principibus permittuntur, quis eisdem negauerit, mutuis foederibus, quorum ius ipsa lege assertum est, mutuaque per illa auxilii promissione, iunctisque pro auertenda laesione consilii securitati eius prospicere, laesiones eius vi armisque repellere, confertisque manibus eiusdem agere vindicias?

Sunt & quaedam tuendae libertatis eximia munimenta pro auertendis discriminibus, in quae eam adduci posse, temporum magistra docuit, sapientissime constituta. Quorsum quaeso illa pertinet iuris prouidentia, qua exterorum principum copias intra imperii fines ducere viresque ad alios imp. Status opprimendos cum iis coniungere nefas habetur, nisi ut via occludatur, labefactandae libertatis auxilia ab exteris repetendi: si enim nihil horum fit, si defendendae potius libertatis remedia, a sociis imperii frustra requisita, a militis exteri manu repetuntur, quis est, qui propitio id iure fieri non intelligat?

Est & aliud eximium libertatis fulcrum, quod extremum illud de honore dignitate & libertate Statuum imperii iudicium non vnus Proscriptoris arbitrio permittatur, nec tanta poena, in qua

de ipsius libertatis iactura agitur, nec alia quaeuis, cum ea connexa, statui queant nisi ex communi Ordinum Imp. sententia. Seruatum est in hac aequissima iudicandi forma *Ius Principum*, ius illud antiquissimum, cum ipsa republica natum, in quo maiores nostri iurium libertatisque praesidium posuerunt.

Sed quo progressa est oratio in exponenda sanctissima illa Procerum imperii libertate, communis boni effectrice: dicendum enim esse videbatur de his, quae bellum, quod nostra aetas vidit, memorabile effecerunt ob eandem in discrimen vocatam seruamque.

Cum foedus initum esset inter Diuum GEORGIUM II. & FRIDERICUM II. Borussiae Regem de tuenda imperii libertate & de eius securitate, quam leges ipsae sanciant, aduersus cuiusque exteri principis molimina asserenda: de consilio adeo salutari labefactando & de euertenda vi foederis, ad muniendam imperii incolumitatem comparati, mox actum est in foedere Austriaco Gallico.

Cum non nisi in prouinciarum suarum tutela firmanda, cum in tuenda tantum dignitate honore statusque imperii libertate curam prouidentiamque summam defigeret Diuus GEORGIUS II.: bellum a Gallis tanto apparatu minabatur, ut quis sensus esset armorum Gallicorum cum Austriacis vnitorum, non diuinatione aut coniecturis opus esset, sed attenta modo rerum, quae tum agebantur, consideratione.

Cum

Cum in ista, quae succedebat, inuasionem, qua Galli sociique patriam partim inundabant partim obsidebant, naturae, hoc est Dei vocem sequeretur Divus GEORGIUS II. patriae iuriumque diuinorum & humanorum defensionem paraturus: ipsa libertatis defensio, lege diuina & humana imperata, notari atro carbone coepit. Quis nostrum A. non cum sacro quodam horrore recordatur, quae inde in publicum prodierunt placita, iura dignitatem libertatem Optimi Principis, pro communi Germaniae bono merentissimi, sugillantia, in notam aeternam illius tribunalis cessura ex quo emanarunt, benignum posteritatis iudicium haud latura. Parata iam esse videbantur de Statibus Imp. Euangelicis opprimendis consilia, vt his veluti praecipuis libertatis fulcris subductis, principia statuerentur arbitrariae potestatis.

Sed in his vos arbitros esse malo A. memor illius apud Tacitum, raram esse temporis felicitatem, vbi sentire, quae velis, & dicere, quae sentias, licet. Laetamur, Deo placuisse bonam causam, & quod Dei beneficium est, patriae libertatem in tanta hostium vi & in praesentissimo periculo defensam, seruata, & restitutam, ac cum ea Germaniae libertatem asertam, in eoque loco positam esse, ut non tam sit de ea recuperanda quam de parta tuenda in pace laborandum.

Capimus & hodie immortalis illius beneficii iucundissimum fructum, quod celebrare liceat hanc panegyrim, academiae non minus quam ordini iuridico nouum decus conciliaturam. Horribus in arte nostra summis ornandi sunt duumviri iuris peritissimi, qui

qui quo maiori munerum, quibus funguntur, dignitate literarum-
que & iurisprudentiae laude conspicui sunt, tanto digniores acce-
dunt ad novos, quos meritis suis iungunt, honores, iisdem post
eximia legitimae scientiae specimina publice priuatimque exhibita
ex vnanimi Ordinis sententia dignissimi iudicati.

Quorum conferendorum provincia ex Ordinis nostri decreto
iam defuncturus, a vobis prius, viri doctissimi, iusiurandum prae-
stari cupio, quo iustitiae sacerdotes obstringi, tam rei, quae hic
agitur, religio quam statutorum nostrorum iura postulant. Age ita-
que, Vir excellentissime & Amplissime, qui Academiae simul a
Secretis es, & solennem iusiurandi formulam ex statutorum no-
strorum codice recita. Vos vero viri amplissimi & Doctissimi ex
eadem formula fidem vestram, tactis academiae sceptris, adstrin-
gi patiemini.

Quod igitur in diuini sui nominis gloriam, in commoda
publica & in Academiae nostrae decus vergere iubeat Supremum
Numen, Inuictissimi Caesaris Augusti auctoritate, Auspiciis augu-
tissimis Potentissimi Principis & Domini, GEORGII III. Ma-
gnae Britanniae Franciae & Hiberniae Regis, Defensoris fidei S. R. I.
principis electoris & archithesaurarii, Brunsvicensium & Lunebur-
gensium Ducis, Rectoris huius Academiae Magnificentissimi, Do-
mini nostri longe Clementissimi, ex decreto inclyti Ordinis iuri-
dici, Ego GEORGIUS LVDOVICVS BÖHMER I. V. D. Con-
siliarius regius aulicus, iuris antecessor, Ordinis iuridici hoc tem-
pore Prodecanus, ideoque ad hunc actum rite constitutus promo-
tor,

tor, primum omnes illos, quibus per decanatum & prodecanatum a me gestum iuris vtriusque honores a me collati sunt, solennitatis & honoris causa, seruatoque promotionum ordine, nimirum

VIVOS PRAENOBILISSIMOS ET CONSULTISSIMOS

D. D. CASPARVM FRIDERICVM HOFFMANNVM

Wezlaricsem,

D. D. GERHARDVM HENRICVM LAMPRECHT

Lubecensem,

D. Licent. PETRV M HENRICVM WIDOW, *Hamburgensem,*

D. D. VIRVM GENEROSISSIMVM HENRICVM DE DOERING,

Luneburgensem,

D. Licent. I. HENRICVM BRVSS, *Hamburgensem,*

D. D. I. CHRISTOPHORVM LVDEWIG, *Bremensem,*

& quem primo omnium loco nominare oportebat,

VIRVM ILLVSTRISSIMVM

ARNOLDVM LVDOVICVM MARCHIONEM DE LOSTANGES,

Exercituum Regis Christianissimi Campi Marechallum, Dominae

Franciae Regiae Celsitudinis Comitem primicerium,

partim iuris vtriusque Doctores partim iuris vtriusque Licentiatos publice ex hoc solenni loco proclamo nuncupo & pronuncio, & quae ipsis collata sunt iura & priuilegia I. V. Doctorem & Licentiatorum, in hac solenni panegyri confirmo.

Deinde Digniffimos honorum Candidatos, Te, inquam,
VIRVM EXCELLENTISSIMVM ET AMPLISSIMVM
GOTHOFREDVM ACHENWALL

Philosophiae Doctorem iuris naturae & Politices in hac Academia Professore
Publ. Ordinarium, & Te

VIRVM PRAENOBILISSIMVM & DOCTISSIMVM
FRIDERICVM CARSTENS

apud Summum Prouocationum Tribunal Celsense procuratorem ordinarium
& aduocat. im.

Vos, inquam, Iuris Vtriusque Doctores creo, publice proclamo atque renuncio, potestatem docendi iura, interpretandi leges, in Superiori cathedra standi praesidendique & de iure respondendi Vobis tribuo atque confero, omnibusque iuribus, honoribus, dignitatibus, priuilegiis, immunitatibus atque praerogatiuis, quibus omnes aliarum vniuersitatum iurium Doctores vel ex legis auctoritate vel ex consuetudinis iure ac obseruantia frui ac gaudere solent, vos etiam in posterum frui atque gaudere iubeo, idque in nomine SS. Trinitatis, Dei Patris Dei filii Dei Spiritus S. cui sit laus honor & gloria in Saeculorum secula Amen.

Nunc vos, Viri Consultiffimi, in hanc Cathedram Superiorem ascendere cupio, in hunc, inquam, locum, quem vobis imperiali & regia auctoritate cum ipsius togae iure tributum esse intellexistis,

Salue-

Saluete, Consultissimi Dni Doctores, quo honorifico nomine Vos ego primus laetabunda & gratulabunda mente compello, collatosque honores vobis auspicatissimos esse exopto. Nondum vos dimitto, nouo honore distinctos, sed maiorum nostrorum vestigiis insistens, iis symbolis Vos inuestiri cupio, quibus vel maxime noua dignitas & quae cum illa iuncta sunt officia significari solent. Hac solennitate, ab antiquitate probata, collatos honores obfigno, pileosque purpureos, antiquissima honoris decora, capitibus vestris impono. His ornatos Vos ita florere exopto, vt noua dignitas, aliis super aliis honoribus aucta, in Vobis illustrior appareat.

Librum Vobis aperiri non miramini. Ipsi vestris vigiliis edocti intelligitis, quanta ex lectione assidua literarum diuitiae comparentur. *Hic* legum codices, *illic* interpretum commentarii, *omnes* largam messem continent, ex qua ornari iurisprudentiae studia, amplificari, & ad patriae commoda transferri possint.

Sed nec claudi librum vobis molestum est: cum ipso vsu edocti compertum habeatis, cum lectione iungendam esse grauem meditationem, vim & potestatem legum ingenii virtute esse percontandam, & non modo expendendas aliorum doctrinas, sed & legum placita in cognoscendis publicis priuatisque negotiis in promptu esse habenda.

Tandem dexteras vestras praebete annulis ornandas, annulis, inquam, auro gemmisque distinctis. En nouos honorum indices, sed religiosa simul & perpetua foederis, quod cum themide iniistis,

ffis, pignora, fideique purae & incorruptae signa, qua vos constringi passi estis ad constantem illam perpetuanque voluntatem in iustitiae aequitatisque diligenti custodia commonstrandam. Iam vos rite inuestros osculo complector suauissimo, concordiae amoris & officii pignore, eoque vota sincera pro prosperrimis rerum uestrarum successibus gratulabundus obliquo.

Tu vero, aeternae Deus, cuius gratiam & beneficia inter publica discrimina pie veneramus, omnibus prosperitatis cumulis amplifica hanc Academiam. Serua PATREM PATRIAE, ei-que largire vitam, felicitatem, victorias & pacem. Felicissimam esse iube domum regiam, omnique prosperitate florere cum AVGVSTA PRINCIPEM AVGVSTVM, spes & delicias populorum. Fortuna consilium regium, serua academiae patres & ciues, tuisque muneribus praesta, vt patriae vicinarumque prouinciarum, vinculo amicitiae nobis iunctarum, communis incolumitas imperii-que & religionis libertas inconcussa stet, pace firmetur, Augustorum virtute vigilantia & consiliis muniatur, omnibusque denique fausto fidere in concordiam reuocatis, aurea pax in aeternum efflorescat.

Dixi.

ULB Halle

3

004 327 837



f
56







1762, 3
3

GEORGII LVDOVICI BOEHMERI
ORDINIS IVRIDICI IN ACADEMIA
GEORGLA AVGVSTA
PRODECANI

ORATIO

DE


BELLO NVNC GESTO OB SERVATAM
GERMANIAE LIBERTATEM
MEMORABILI

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

INTER SACRA EIVS ANNIVERSARIA

HONORVM CONFERENDORVM CAUSA
HABITA

a. d. xl. Oct. clō lō cclxii.



GOTTINGAE

APVD VIDVAM ABRAMI VANDENHOECK.

